50921/B

49419

DISSERTATIO OBSTETRICIO MEDICA INAUGURALIS

DE

ABORTU ET PARTU PRÆMATURO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate RECTORIS MAGNIFICI,

FRIDERICI BERNARDI ALBINI,

A. L. M. PHIL. AC MED. DOCTORIS; ANATOMES, CHIRURGIAE, AC MEDICINAE PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Amplisſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*, & *Nobiliſſimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis rite et legitime conſequendis,

DEFENDET

CORNELIUS TERNE,

AMSTELODAMO BATAVUS.

Ad diem I. *Aprilis* CIƆIƆCCLXXVIII. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD THEODORUM HAAK ET SOCIOS. 1778.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

V I R O

NOBILISSIMO, VIRTUTIBUS ET MERITIS SPECTABILI.

D. DANIELI GILDEMEESTER,

JOH. FIL.

JURIS UTRIUSQUE DOCTORI.

PATRONO MEO ET FAUTORI PLURIMUM VENERANDO,

OB INNUMERA BENEFICIA QUIBUS ME ORNAVIT

NUNQUAM NON COLENDO.

NEC

NEC NON

VIRIS

CLARISSIMIS ET OMNIGENÆ SCIENTIÆ FAMA CELEBERRIMIS.

D. F. B. ALBINO.

D. G. VAN DOEVEREN.

D. E. SANDIFORT.

D. J. D. HAHN.

D. N. G. OOSTERDYK,
JOH. FIL.

D. A. BONN.

ILLIS IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA MEDICINÆ PROFESSORIBUS ILLUSTRISSIMIS.

HUIC IN ATHENÆO AMSTELODAMENSI ANATOMES ET CHIRURGIÆ PROFESSORI DIGNISSIMO

MEIS IN MEDICINA PRÆCEPTORIBUS FIDELISSIMIS, PER OMNEM VITAM COLENDIS,

GRATI DEVINCTIQUE ANIMI CAUSSA HANC DISSERTATIONEM.

D. D. D.

CORNELIUS TERNE
AUCTOR.

DISSERTATIO OBSTETRICIO MEDICA INAUGURALIS

DE

ABORTU ET PARTU PRÆMATURO.

INTRODUCTIO.

§. I.

Apud omnes Medicos in confeſſo eſt, foeminas longe pluribus morbis obnoxias eſſe quam viros. Mares foeminis robuſtiores tam animo quam corpore conſtanter affirmat Hippocrates (*a*). Non ſolum enim omnes morbi, quibus viri obnoxii ſunt, etiam in fœminis deprehenduntur, ſed inſuper quoque dantur varii fontes, qui fœminis proprii ſunt,

(a) Lib. 6. Epid. part. 2. cap. ult.

ſunt, ex quibus milleni morbi ſuas cauſas trahunt, a quibus viri immunes manent. Ideo recte dixit Primeroſius: *Miſeranda mihi mulierum conditio videtur, quæ omnes virorum affectus ſubſtinet, & infinitos præterea alios, quibus viri non ſunt obnoxii.* Ab infantia usque ad decrepitam ſenectutem eſt numerus morborum major in ſexu ſequiori, quam in virili, licet pueritia in hiſce binis valde ſit æquabilis, tamen videntur mihi non immerito rudimenta prima in pueris firmiora eſſe quam in puellis, paucis laxioribus pueris & robuſtioribus puellis exceptis: quod etiam in progreſſu ætatis locum habere poteſt, & a vario temperamento, vitæ regimine, diæta & exercitio corporis atque animi videtur dependere. Sic helluones librorum præditi ingenio capaciſſimo, & ſtudioſiſſimi artifices, qui ſimul vitam ſedentariam agunt & dies noctesque ingenium acuunt, non raro vires corporis infringunt & viſcera Chylopoïetica depravant, ut ſuas functiones non exercere poſſint, & ſic valetudinarii fiant, ſuaque corpora effoëminent: idcirco ſæpiſſime corripiuntur ab his morbis, qui frequentiſſime in fœminis adſunt, ut ſpasmis, convulſionibus, epilepticis morbis, ecſtaſibus, nimiis fluxibus hæmorrhoidum vel earum ſuppresſionibus &c. Ideo Celſus jam jure merito dixit: *Literarum diſciplina majori ſtudio agitata, ut animo præcipue omnium neceſſaria, ſic corpori inimica eſt* (*b*).

Quidquid ſit, licet viri dentur, quorum exteriores interioresque partes corporis, adeo teneræ, laxæ & ſenſiles ſunt, tamen pro vulgari regula habetur, viris plerumque fortiorem, robuſtiorem, minusque

(*b*) In Præfatione Lib. I.

nusque ſenſilem fabricam eſſe. Si porro attendamus ad morbos, qui ex ſingulari fabrica & officio earum partium in ſexu ſequiori tempore pubertatis, ex igniculis venereis, nimio fluxu menſium aut ejus ſuppreſſione ſolent oriri: vel ſi animum intendamus ad morbos fœminis nuptis & effætis proprios; milleni morbi mox in ſenſus Medicorum cadunt, quos omnes computare in animo mihi non eſt & hicce campus nimis longus foret. Sed ex multis his malis pro meæ diſſertationis inauguralis argumento eligere ABORTUM ET PARTUM PRÆMATURUM lubuit. Hicce morbus jure ſummo ab omni ævo pro periculoſiſſimo atque pernicioſo generi humano æſtimatus eſt, & non raro, imo ſæpiſſime digniſſimas & valde laudabiles matres & cariſſimas atque optimas uxores ex brachiis maritorum quam celerrime triſtiſſimeque rapit. Mirum ergo non eſt, quod Medici, Chirurgi atque Obſtetricantes, (quibus cordi eſt ſanitatem hominis ſervare læſamque reſtaurare) omnia conamina adhibeant, ut fæminæ tempore graviditatis, quo illæ plerumque valetudinariæ ſunt, cum patientia, bona ſpe atque tranquillitate animi illa incommoda graviditatis ferant, & omnia ſymptomata adeo mitigent, ut ne fœtus, prius quam par ſit, & ubi nondum ſatis eſt maturus, naſcatur, ſed ſuo tempore ſanus, vegetus & cum facilitate ex ergaſtulo ſuo liberetur.

Non TE B. L. per longa exordia tenebo, ſed potius ad ſcopum meum tranſibo.

DE ABORTU IN GENERE.

§. II.

Quando foetus immaturus ante ſeptimum menſem ex utero contracto expellitur, vel mortuus vel qui paulo poſt expulſionem animam efflare ſolet, vocatur ille ſtatus, in quo fœmina tunc verſatur *Abortus*, & ſolet tunc dici fœmina abortire. Ante decimam poſt conceptum Septimanam vix habentur excluſiones pro vero abortu, ſed *Effluxio* vocatur nonnullis. *Partus Præmaturus* vocatur illa conditio fœminarum, qua poſt ſeptimum menſem & ante nonum fœtus ex ſuo carcere liberatur, ſive mortuus ſive vivus, nam tum vivere poſſe fœtum exempla non rara ſunt, rariora autem illa, quibus fœtus ante ſeptimum menſem in lucem editus ſupervixit aliquod ſpatium temporis: dantur quidem variæ obſervationes, ſi Scriptoribus fides habenda, ſed credendum videtur, ſæpius fœminas in ſuo calculo erraſſe & ſic etiam medicos alioſque in errorem traxiſſe: licet negare nolim, non aliquando ſupervivere poſſe talem fœtum: ſi enim *E. G.* fœmina imprægnata adeo vegeta, robuſta & bonis ſuccis repleta, ideoque ad bonam nutritionem fœtus apta eſt, quidni aliquando fœtus prius matureſceret, quam alias fieri ſolet? Sic dantur fœminæ, quæ ſemper ſeptimo menſe expellunt ſuum fœtum vegetum & alacriorem, quam aliæ, quæ ad nonum menſem geſtant. Si nunc vehementes cauſæ occaſionales corpus & uterum in actum ducunt, ut expellatur fœtus quinto vel ſexto menſe graviditatis, quid quæſo obſcuritatis remanet, ut talis fœtus poſſet vivere? Dantur ita e contraria aliæ fœminæ, quæ ultra no-

num

num menſem tempus graviditatis extendunt, quando debiles, laxæ, valetudinariæ, vel poſt morbos acutos adeo exhauſtæ ſunt, ut fœtus non ſatis nutriatur, ſed tam lente creſcat, ut tempus graviditatis prolongetur, & ſic partus ſerotinus producatur. (*c*) Differunt *Abortus* pro vario ſtatu atque tempore graviditatis, ſæpe enim fit in ejus principio, & ſanguinolenta eſt fœtus immaturi expulſio; ſæpe circa tertium menſem, quod valde frequens eſt; ſed tamen illo tempore non ſemper exiſtit, & omni tempore graviditatis locum habere poteſt. Differt etiam pro variis cauſis ex quibus *Abortus* ſuam originem habet. Tandem etiam pro variis ſymptomatibus, quæ comitantur *Abortum* & *Præmaturum partum*, differentia datur.

DE CAUSIS ABORTUS ET PRÆMATURI PARTUS.

§. III.

Cauſæ remotæ hujus mali ſunt fere infinitæ. In genere quidquid legitimum commercium inter matrem atque fœtum, ſeu ovum impedit, tollit, depravat, vel adeo minuit, ut fœtus ad maturitatem non creſcere poſſit, ſed ſive mortuus ſive vivus ex ergaſtulo ſuo excutiatur, pro tali cauſa debet haberi. Ordo tamen requirit, omnes cauſas referre ad quatuor claſſes.

Abortus nempe Cauſæ videntur mihi non immerito:

1°. Quæri,

(*c*) Vid. Alberti in Syſtem. Juris Prud. Med. Tom. I. & Haller. E. P. Tom. VIII.

1°. Quæri, in vitiis ſeminis virorum, & in eo quod fæminæ adferunt ad conceptum fœtus peragendum:

2°. In matris corporis morboſa quadam diſpoſitione:

3°. In fœtu & ſecundinis non naturaliter ſe habentibus:

4°. In rebus quibuscunque externis, agentibus in matrem ità atque fœtum, ut inde noſtrum malum ſequatur.

§. IV.

Quod ad *primam claſſem* cauſarum pertinet; licet prima fronte perdifficile determinatu videtur, tamen mihi haud inprobabile eſt, aliquando obtinere vitium in ipſa conceptus materia, & illam cauſam frequentius locum habere, quam vulgo putatur: certum enim eſt, Viros valetudinarios vel illos, qui occulta vitia (quaecunque illa ſunt) cum ſe gerunt, vel qui pernimias exercitationes veneris corpora ſua exhauriunt, vel ex nimia agitatione mentis vires corporis effringunt, & ſic digeſtionem alimentorum depravant, & ex mala digeſtione depravatum chylum cum ſanguine miſcent, quique ſic non apti ſunt ad bonam ſecretionem ſeminis perficiendam; ſemen non bene coctum vel nondum ſatis idoneum ad procreandum fœtum ſanum atque vegetum expellunt in uterum maternum; adeoque hoc a principio originis fætus in ſe habet varios fontes morborum, qui ocyus ſeriusue morbos in fœtu vel nato infante producere neceſſario debent vel impedire quominus fætus non ad maturitatem venire poſſit. Quid eſt quod impedit concludere, eam materiem ſeminalem, quam ad conceptum ſuppeditat Fœmina, ſimiliter eſſe poſſe

vappi-

vappidam, debita ſua energia carentem, & malae ſecretionis labe imbutam? mihi ſaltem id fieri poſſe videtur. Sic ergo foëtus ab ipſa conceptione vitio ſeminis Parentum debilis raro ad maturitatem pervenit, ſed absque vigore torpet, usque donec pereat aut excutiatur abortu. Miramur quidem ſæpiſſime foëminas abortire, in quibus nec in utero nec in reliquis partibus corporis, aut in ipſo foëtu & ſecundinis ullæ cauſæ manifeſtæ adſunt, & tamen foëminæ illæ non poſſunt foëtum geſtare usque ad tempus maturitatis. Novi equidem, illud plerumque adſcribi ſingulari diſpoſitioni uteri, (dein memorandæ,) quae non fert uteri parietum extenſiones debitas, ſed illæ conditiones non ſemper in culpa ſunt & mater & uterus aliquando ab omnibus cauſis ſunt immunes, cauſa autem hæret in ſolo rudimento pravo ſeminis virorum vel mulierum, ex quo fæcunditas fieri debet. Si mihi liceat rem per exempla ex vegetabilibus deſumta illuſtrare, & per analogiam ad fœtum hominis transferre, clarior fiet: E. G. quando ſemina cujuscunque plantæ in interiore parte ſunt corrupta, degenerata, contuſa vel læſa, illæ plantæ ſi in terra apta ſint depoſitæ creſcunt, & aliquando pulcerrime, ut bonam ſpem habeamus fructificationis, ſed tempore quo hæc fieri debet, ſine cauſa manifeſta, mutatur tota res, nullus flos, nullus fructus maturus excreſcit, ſed planta degenerat, mutatur & exareſcit, ut perdat totum fructum. Idem videtur mihi aliquando in *abortu* fæminarum locum habere, quando parentes variis morbis, præſertim lue venerea, gonorrhoëa maligna ſive benigna, phthiſi, nimio coïtu vel alio modo ſunt exhauſti & ſic inepti ad procreandam ſobolem ſanam vegetamque; unde itaque intelligitur, quomodo,

Ætas

Ætas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores; mox daturos,
Progeniem vitioſiorem (*d*).

Forſan etiam monſtra humana aliorumque animalium hanc opinionem non parum confirmant. Ex dictis ſuperabunde patet aliquando etiam Viros in cauſa *abortus* eſſe, eique in primo homuncionis exordio facile anſam dare poſſe.

§. V.

Secundam claſſem cauſſarum quærere debemus in corporis matris diſpoſitione. Expendamus ergo quid valeant morboſæ hujus conditiones.

1°. Sæpe ſingularis datur prædiſpoſitio matris, ut nempe adſit *Proclivitas*, qua fæmina facillime in abortum cadit: quo pertinet impoſſibilis uteri ultra gradum absque metuenda læſione extenſio, laxitas, debilitas fibrarum vaſorumque uteri, ita ut fœtus in juſtam molem expandi uteroque contineri nequeat. HIPPOCRATES jam ſuo tempore hanc cauſam obſervavit, dicens; *Si vero concipiat quidem; ſed fœtus bimeſtres eodem exacte tempore corrumpat; neque prius, neque poſterius; idque ei bis vel ter eodem contingat modo; aut etiam ſi longioris temporis fœtum eodem modo corumpat; hujus uteri in majorem molem non creſcunt, fœtu in eis augeſcente, & bimeſtre vel trimeſtre ſpatium excedente. Sed hic quidem augeſcit, uteri vero nihil increſcunt, propterea ſane multæ eodem tempore fœtum corrumpunt* (*e*).

2°. Ni-

(*d*) HORATIUS Lib. III.
(*e*) De in fœcundis cap. XVIII.

2°. Nimia uteri *Irritabilitas*, quæ non ferre poteſt irritationem illam, quam geſtationis negotium poſtulat, ut Hippocrates brevibus verbis expreſſit; *Quin & ipſi uteri ita ſunt a natura comparati, ut abortionem faciant, ſi flatulenti, denſi, magni, parvi extiterint, aliis ſimilibus affectionibus laborarint* (*f*).

3°. Cauſam quærere debemus in variis *Vitiis uteri* vel *Partium circumjacentium*, ut eſt in utero prolapſus uteri & vaginæ, cancer, abceſſus, volvulus, polypus, hydrops uteri, fluor albus &c; In vicinis partibus hærent aliquando vitia V. G. veſicæ urinariæ varii morbi, uti calculi, iſchuria vera, ſtranguria, hernia veſicæ &c. ſic etiam inteſtinum rectum in cauſa eſſe poteſt, ut pigrities alvi, qua fit, ut in colo inteſtino, rectoque accumuletur foëx dura, quæ impedit, quominus uterus extendi cum facilitate poſſit, & facit ut varii nixus requirantur ad expellendam foëcem, unde uterus in conſenſum trahitur; hæmorrhoïdes, fiſtulæ, prolapſus ani, teneſmi, diarrhoëa ſuam ſymbolam conferre huc etiam poſſunt. Hippocrates jam notavit, *Mulieri in utero gerenti, ſi alvus multum fluat, periculum eſſe ne abortiat* (*g*) Tamen illum Aphoriſmum non adeo ſtricto ſenſu accipere debemus, acſi nullam exceptionem ferret, ut varii Medici ſolent facere; Hippocrates enim non dixit ſemper abortire tales fæminas ſed periculum eſſe ne id faciant, & hoc verum eſt: Tamen non ſemper excutitur fœtus, quando fæminæ laborant diarrhoëa; vidi per tres ſeptimanas fæminam laboraſſe diarrhæa, & quidem cum euphoria. In alio loco dixit ipſe Pater Medicinæ; *In pertur-*

(*f*) De Morbis mulier.
(*g*) Hipp. Aph. 34. Sect. V.

perturbationibus ventris & vomitibus ſponte evenientibus , ſi quidem, qualia oportet purgari , purgentur , confert , & facile ferunt , ſin minus contra (h), & in Lib. Prædiction. dicit : *Dyſenterias gravidis facere ad partum felicem* (i). Tamen nemo hinc cogitare debet, diarrhoëam gravidarum omni periculo carere, quod falſum eſſet. Differt periculum pro varia cauſa, conſtitutione, temperamento, ἰδιοσυγκρασίᾳ & viribus fæminarum & pro indole hujus diarrhϾæ. Si nempe fæminæ ſunt debiles, laxæ, valetudinariæ, augetur quam maxime periculum, & tunc Medicus mox ſuccurrere debet, ne fœtus perdatur.

4°. Huc reducere debeo *varios morbos gravidarum*, præſertim præternaturalem contentorum ventriculi per os ejectionem, quæ *vomitus* vocatur, qui ſæpiſſime in initio graviditatis adeſt, & fæminas cruciat quam maxime, tamen raro usque ad quartum menſem pergit, ſed tunc plerumque deſinit: aliquando tamen in ultimo tempore graviditatis redit, quando uterus valde extenuatur, in magnam molem excreſcit, usque ad fundum ventriculi ſurgit & revera eum tangit. Vid. Levret (k), Denys (l), & ſic moleſtiſſimum nec non periculoſiſſimum vomitum excitat. Totum corpus revera in actu eſt, quando homo vomit, vultus rubet, vaſa ſanguifera tument, oculi prominent, Lachrymæ copioſiſſimæ extillant, & intolerabiles anxietates præcordiorum adſunt; ipſa exempla exſtant rupturæ œſophagi,

(h) Ibid. Aph. 2. Sect. I.
(i) Lib. 2. Prædict.
(k) L'art des Accouchem. p. 57.
(l) Pag. 57.

phagi, ventriculi vaſorum ſanguiferorum; muſculi abdominales & diaphragma agunt vehementer, in parte ſuperiori & anteriori abdomen coarctando; cor palpitat & expellit cum vi maxima ſuum ſanguinem verſus partes reliquas corporis, unde congeſtiones, infarctiones, rupturæ aliæque læſiones. Non mirum ergo eſt, ex his cauſis uterum peſſime ſe habere, & quam maxime lædi poſſe, imo ſeparationem placentæ & peſſimam hæmorrhagiam oriri; ſi inſuper ponderemus illam teneram connexionem placentæ cum utero, quæ ſine vera anaſtomoſi vaſorum per ſolam celluloſam ſe cum utero nectit, non mirabimur diu qnod ex hac cauſa ſæpiſſime oriri ſolet *Abortus* & *Partus præmaturus.* Huc porro pertinet tuſſis, quæ ob eandem rationem vehementer nocet, & ſæpiſſime vomitum comitem habet (*m*). Vidi ipſe ex hac cauſa oriri fiſſuram membranæ ovi & Liquorem amnii effluere per quinque ſeptimanas, & tunc poſt leviſſimum terrorem uterum in actum deductum intra quindecim horas expellere ſuum fœtum ſex menſium, vivum, qui tamen poſt pauca minuta moriebatur. Huc ſpectant etiam varii morbi convulſivi, ut paſſiones hyſtericæ, crampi, epilepſia &c. aquacunque cauſa orti; in genere omnes convulſiones habent ſemper plus minusve periculi, illæ tamen gravidis peſſime præ aliis nocent, totum enim corpus illis concutitur vehementer, oculi rotantur, lingua mordetur, ſpuma ex ore fluit, fœdum ſpectaculum & ſimul triſte; ex his etiam oriri ſolent congeſtiones enormes ad omnes corporis partes, præſertim

(*m*) Mauric. Traité des Malad. des Femmes groſſes. Lib. I. cap. XVI. Levret l'art des Accouchem. pag. 195.

ſertim ad caput, pectus & uterum, ex quibus tenſiones, dolores, rupturæ vaſorum, hæmorrhagiæ internæ, fluxus uterinus enormis, vehemens calcitratio fœtüs & ſubita mors: tandem & uterus in conſenſum rapitur ſuumque hoſpitem excutit aliquando profunde ſopita & inſcia matre, ut Heiſterus tale exemplum deſcripſit, idemque & ipſe vidi in tristiſſimo caſu de quo mox: non rarum itaque eſt, ex hac convulſione & matrem & ſimul fœtum perdi.

Hydropes non raro anſam dare poſſunt abortui, ſive ſunt univerſales ſive particulares: quando enim in cavo abdominis gravidæ aquoſi humores hærent, ut in aſcite ſolet, tunc comprimuntur viſcera, & uterus impeditur in ſua expanſione, non mirum ex his oriri ſolere abortum, & inſuper propter relaxationem fibrarum & vaſorum uteri facillime illas fæminas abortire; Mauricæus tamen vidit fæminam, quae per novem annos laboraverat aſcite tantæ molis, ut ultra triginta pintas aquæ tumidum abdomen continere poſſet, morbi tèmpore peperiſſe quatuor infantes vivos ſanosque (*n*). Quando extravaſati humores aquoſi in cavo uteri, tubis Fallopianis vel vicinis partibus hærent, facile abortit fœmina.

Inter varios morbos gravidis contingentes jure meritoque recenſentur acuti morbi inflammatorii, putredinoſi, exanthematici, atque intermittentes febres, qui abortionibus anſam dare poſſunt. Hipp. dixit: *Mulierem gravidam (ſeu uterum gerentem) morbo quopiam acuto corripi lethale* (*o*). Fatendum eſt non omnino & abſolute verum

(*n*) Mauric. Traité des Malad. des Femmes groſſes. Tom. I. p. 73.
(*o*) Hipp. Aphor. 30. Sect. 5.

rum eſſe hunc Hippocratis Aphoriſmum, & quotidiana obſervata docere contrarium; interim periculoſiſſimus ſtatus gravidarum tunc ſolet eſſe, quum gravida ſimul corripitur acutis morbis, qui perſe nunquam periculo carent. Non mirum interim eſt, licet illo tempore fæminæ in maximo periculo verſentur, tamen non ſemper eas perire dum morbo acuto corripiuntur, hoc etiam ex ipſo Hippocrate poteſt demonſtrari: Mulier enim illa, quæ in littore trimeſtri fœtu gravida decumbebat febre acuta cum obmuteſcentia, delirio & convulſione, inſomniis, tenuibus urinis non bene coloratis, aliisque malis ſymptomatibus, tamen a morbo evaſit decimo quarto die judicata: ideo & jure ſummo *Celſus* limitavit hanc prognoſin; dicens; *mulier quoque gravida acuto morbo facile conſumitur.* Licet autem verum ſit non ſemper acutas febres lethales eſſe gravidis, tamen nunquam periculo carent, ut jam dixi, ſæpiſſime enim fœtum ex ergaſtulo ſuo expellunt & prius quam par ſit, in lucem edunt. *Abortus* tum fit vel in paroxyſmo febris propter violentum motum febrilem, vel ſub ſtatu reconvaleſcentiæ, ex defectu, penuria, vel inopia alimenti aut debilitate & exhauſtione virium matris & ſic moritur, exſiccatur & tandem ex utero excutitur fœtus: unde Hippocrates jam monuit: *Quæ geſtantes uterum febribus corripiuntur, & vehementer ſine cauſa evidente extenuantur, eæ difficulter & cum periculo pariunt aut abortientes periclitantur* (*p*). Nec plane omittere debemus febres intermittentes ſive tertianæ ſive quartanæ ſint, ſive ſpectemus cauſas harum febrium ſive effectus, ut irregularem motum ſanguinis, vel comi-

(*p*) Hipp. Aphor. 55. Sect. 5.

comitantia ſymptomata, quæ plerumque cum febre pari paſſu ambulant, vel & mala, quæ oriuntur ex febribus, ut cacochymia, cachexia & ſimilia, quæ omnia fæminam ineptam reddunt ad ſuſtinendum & nutriendum ſuum fœtum, aliaque munia graviditatis obeunda.

5°. *Temperamenta fæminarum* aliquando ad abortum conferunt: ſic in phlegmaticis, ubi frequenter leucophlegmatia, torpor, inertia & pigritia humorum circulationis, impedimenta excretionis & coctionis ciborum adſunt; unde in noſtratibus fæminis ſæpiſſime abortus & præmaturus partus, propter laxationem totius corporis vel ſingularium partium. Nec etiam excludere debemus temperamentum cholericum, in quo maxime animi vigor, agilitas, mobilitas nec non nimia irritabilitas adeſt, unde ex leviſſima cauſa animus in actum deducitur immoderatum, hinc etiam in talibus videmus majorem proclivitatem in convulſiones & ex his abortum atque præmaturum partum facillime oriri, quotidiana docet obſervatio.

6°. *Ætas* nondum perfecta, ut 12. 14. 16. annorum anſam ad abortum præbere poteſt, quia illo tempore partes corporis talis puellæ non ſatis perfectæ ſunt, ut ad ſuſtinendum & augendum corpus ſuum ſimulque fœtum alendum apta ſit, unde non mirum foëtum perdi propter penuriam nutritionis, qua mater ipſa pro ſe opus habet, ut proprium corpus in molem & robur augeatur, præſertim ſi inſuper ponderemus in illis maximam animi imbecillitatem, inconſtantiam, irritabilitatem, metum & dolores inſuetos adeſſe. Ubi e contrario fæminæ annoſiores v. g. 45. 50. anno & ultra evadunt gravidæ, præſertim prima vice, quoniam rigiditatem nimiam atque firmitatem ligamentorum, membranarum vaſorum & fibrarum

habent,

habent, ſic uterus non ſatis in molem augere & creſcere poteſt, & in ſua extenſione impeditur, unde dolores enormes, convulſiones, hæmorrhagiæ, abortus & ipſa mors oriri ſolent perſæpe in talibus.

7°. *Vermes* in primis viis nidulantes propter partium conſenſum aliquando abortum & præmaturum partum producere non infrequens eſt; nec mirum, ſi attendamus ad varia phænomena, quæ ex his oriri poſſunt, multi enim ſpasmi & ingens numerus inde pendentium morborum ex his hoſpitibus ſuam cauſam trahunt: unde etiam aliquando uterus in conſenſum trahitur, & ſuum fœtum expellit; exempla vide apud F. HOFFMAN (q) confer etiam van den *Boſch* (r), qui in duabus nobilibus matronis ſe illud animadvertiſſe teſtatur.

8°. *Plethora* ſeu ſanguinis laudabilis abundantia, quam ſyſtema circulationis absque maximo periculo ſanitatis ferre nequit, quam maxime inter cauſas abortus & partus præmaturi pertinet. Illa ſanguinis abundantia ab omni ævo pro periculoſiſſimo ſtatu hominum habita eſt a Medicis, excepto HELMONTIO, qui dixit, bonum ſanguinem non nocere poſſe. HIPPOCRATES jam in ſuis Aphorismis monuit de noxis ex abundantia ſanguinis boni, dicens: *In exercitantibus boni habitus ad ſummum progreſſi, periculoſi, ſi in extremo fuerint, non enim poſſunt in eodem manere, neque quieſcere. Cum vero non quieſcant neque ultra poſſint in melius proficere, reliquum eſt ut in deterius vertant* (s). Et eloquentiſſimus *Celſus* pulcerrime animad-

(q) De Anim. H. C. infeſt. Hoſp. Cap. 3. §. 10. in oper. omn. Suppl. II. part. II. pag. 598.

(r) Pag. 204.

(s) Aph. 3. Sect. 1.

animadvertit, *ſi ſpecioſior & plenior aliquis & colorátior factus eſt, ſuſpecta habere bona ſua debet: quæ quia neque in eodem habitu ſubſiſtere neque ultra progredi poſſunt, fere retro quaſi ruina quadam revolvuntur* (*t*). Ideo comparari poteſt humorum copia ſana cum bilance in æquilibrio poſita, quæ a leviſſimo pondere adunum alterumve latus inclinat & ſuum æquilibrium amittit. Si ille ſtatus adeo periculoſus & perniciofus eſt, non mirum ergo fæminas gravidas quam maxime lædi poſſe a plethora, quæ ſæpiſſime in gravidis adeſt, ſive illa ſit particularis ſive univerſalis. Sanæ fæminæ, & quæ ſolent tempore menſtruationis inſignem & magnam copiam ſanguinis ex utero vel vagina evacuare, quando gravidæ fiunt, & impeditur illa evacuatio ſanguinis, atque inſuper primis menſibus foëtus non omnem ſanguinem illum abſorbere poteſt, non mirum eſt, illas bono ſanguine repleri & plethoricas fieri, quæ plethora aliquando iterum deſinit, quando fœtus volumine augetur & majore copia ſanguinis opus habet ad ſuſtentandam & nutriendam ſuam molem, quæque iterum incipit poſt ſeptimum menſem, quo aliquando contingit ut in variis fœminis revera iterum appareat denuo. Sæpe hinc ex ſacro inſtinctu naturæ fæmina initio graviditatis ab omni cibo abhorret vel poſt aſſumtionem ejus per vomitum iterum evacuat, quidquid ingeſſerat & ſic præpeditur tunc illa ſanguinis abundantia: quandoque omnibus menſibus graviditatis evacuatur ſanguis ex utero aut vagina, vel ex hiſce binis ſimul & bene quidem cum euphoria, licet non ſemper adeo felix ſit ſucceſſus, ut non ſæpe & fœmina & fœtus inde in maximo periculo

(*t*) Lib. 2. p. 48.

culo vitæ verſentur, quum enormes uteri hæmorrhagiæ a ſolutione placentæ oriantur, qua ſoluta fœtus primum alimento deſtituitur, & non longe poſt ipſa ſua vita. Contrarium quandoque a plethora vitium fit, ut propter nimiam alimenti copiam, quam ſuſtinere non poteſt, foetus ſuffocetur, vel propter nimiam repletionem (ut HIPPOCRATES jam dixit) convulſiones oriantur, quarum noxas ante jam notavimus: ipſe ſic vidi ex ſola abundantia ſanguinis boni ſeu plethora triſtiſſimas convulſiones & brevi temporis ſpatio mortem matri nec non fœtui inductas: Nimirum fæmina quædam nondum viginti annos nata, vegeta, ſana atque robuſta tempore menſtruationis ſemper largam copiam ſanguinis expellens, gravida facta, manebat ſana, & ab omnibus malis, quæ frequenter tempore graviditatis contingunt, immunis, niſi quod duabus vicibus vomeret, nihil querebatur, ſed creſcebat inſigniter, facies turgebat & rubebat: poſt 5 menſem querebatur de tinnitu aurium, flocculis ante oculos obvolitantibus, pulſatione arteriarum capitis & dolore, quæ omnia pro ſignis veræ plethoræ habebam, ideo jubebam inſtitui venæſectionem, ſed fruſtra, quia adeo meticuloſa erat, & abſterrebat a venæ ſectione, ut diceret potius mori ſe velle, quam venam ſibi feriri, inſuper ab omnibus medicamentis abhorrebat & tamen omnes dies cum grato appetitu magna copia cibi utebatur, ideo de die in diem creſcebat plethora, & dolores capitis non ceſſabant, ſed tamen non impediebant, quo minus illa non ſolum omnes exercitationes domeſticas ageret, ſed etiam cum oblectamento, & ſine ullo incommodo unam alteramve horam ambularet. Intra ſextum autem & ſeptimum menſem

C gravi-

graviditatis circa veſperam a leviſſimo terrore afficiebatur, ingentes dolores capitis mox patiebatur & totam noctem valde ſe incommode habebat, & ſomnus minus tranquillus erat: ſequenti vero die dolores capitis non imminuti erant, tamen e lecto ſurgebat, eodem autem die omnes dolores capitis evaneſcebant & cum grato appetitu cibos comedebat, ſed tempore veſpertino circa horam nonam querebatur male ſe habere, & illico afficiebatur convulſionibus terribilibus, momento aperiebam venam & larga copia ſanguinis evacuebatur & redibat iterum ad ſe, ſed brevi poſt rurſus in novas convulſiones incidit, mox iterum feriebam venam, hinc quidem multum refecta tamen querebatur de ingenti dolore capitis, advocabatur Medicus & omnia Artis conamina inſtituebantur, non vero præcavere potuimus novum paroxysmum, & interea dum adhibebatur clysma, vehementer afficiebatur convulſionibus enormibus, de novo inſtituebatur venæſectio, ſed fruſtra, convulſiones enim cum parvo intervallo pergebant: altero die rurſum inſtituebatur venæ ſectio & nihil per os aſſumi poterat, variaque clysmata injiciebantur molliſſima, ſed incaſſum & convulſio una alteram ſequebatur: ideo tentavi, an uterus aperiri poſſet, ut fœtum extraherem, ſed irrito; nam oſtium uteri adeo pertinaciter erat clauſum ut illud digitis non aperire poſſem & intrare: ideo pergere non poteram & Medicus aliique egregii Viri obſtetricii mihi ſuadebant per aliquod tempus quieſcere: totum diem atque noctem convulſiones pergebant ſine ullis mutationibus, ut de malo exitu valde metueremus, omnem ſpem ideo quærere debebamus in extractione fœtus, idcirco iterum de novo explorabam uterum,

quem

quem nunc inveniebam apertum, ſed foëtus perverſum ſitum habebat dextram manum obviam præbens: ideo mox tentabam foëtum pervertere quod cum felici ſucceſſu inſtituebam, & foëtum per partum Agrippinum extraxi mortuum inſcia matre & ſine manifeſto dolore partus. Licet fœtus jam natus eſſet, tamen nondum ceſſabant convulſiones, ſed minuebantur & vera ſigna extravaſationis ſanguinis in encephalo referebant, ideo omnis ſpes vana erat & quatuordecim poſt partum horas convulſiones in mortem deſinebant. Ex hoc triſtiſſimo exemplo luce meridiana clarius patet, quid plethora producere poſſit in gravidis fœminis, præſertim ſi inſuper negligantur venæ ſectiones: credo ſane in hoc caſu ex neglecta & omiſſa extractione ſanguinis omnia hæc phænomena ſuam cauſam habuiſſe, ideo auctor ſum, ſi in gravidis ſigna veræ plethoræ adſint, ferire venam. Tamen ex hac obſervatione B. L. non concludere debet, venæ ſectiones gravidis ſemper convenire, hoc falſum eſt, & ſæpiſſime periculoſiſſimum, nimirum quando fœminæ gravidæ languent, pallent, debilitates & variæ cachexiæ adſunt, tunc omnino cavendum eſt a venæ ſectione & abſtinendum, ne fætus vel mater perdantur propter inopiam boni nutrimenti: & revera ridiculum eſt venæ ſectiones ſemper gravidis commendare; vidi ſæpe ex male inſtituta venæ ſectione maximam debilitatem, languorem & abortum vel præmaturum partum oriri; interim Medicus atque Chirurgus ſæpe per præjudicia fœminarum & adſtantium adeo cruciantur, ut nolentes volentes aliquando debeant videre gravidas ſibi ſanguinem detrahendum curare, & ſi unus Chirurgus nolit venam aperire, mox ad alterum abire, qui ex ſolo

lucri amore vel ex ignorantia eam operam peragit. Meretur de hac re omnino legi SWIETENIUS in *Comm. ad Aphorismos* BOERH. (*u*).

9°. Jure merito inter cauſas abortus & præmaturi partus pertinet *Excretio lactis nimia*, ut celeberrimus GAUBIUS adnotavit in Inſtit. Patholog. & HIPPOCRATES dixit: *Mulieri in utero gerenti, ſi lac copioſum e mammis fluat fœtum imbecillem ſignificat.* Multum intereſt ut mater ipſa per mammas ſuum fœtum jam natum alat & omnes fœminæ ſunt damnandæ & nomine matrum indignæ, quæ ſine manifeſtis cauſis, hunc liquorem & nectar a Deo pro infante recenter nato deſtinatum huic detrahunt: interim tamen cavendum eſt, ne fœminæ in alterum extremum incidant, & tempus lactationis nimis diu protrahant, taliter exhauriantur, millenaque ſibi mala producant, ut ex Pathologia & experientia ſatis abunde patet: ideo fœminæ apto tempore deſueſcere pueros a mammis debent, præſertim quando de novo gravidæ jam factæ ſunt, quod frequenter ſatis contingit: aliquando in hoc caſu lac ſponte ceſſat fluere & ipſe infans lac reſpuit; tamen non ſemper ſic ſe res habet, & vidi ſæpe fœminas 4. 5. 7. & ultra menſes jam gravidas adhuc dum ſuum infantem lactaſſe peſſimo more, quia ſæpius cauſa abortus eſt: SWIETENIUS narrat exemplum mulieris, quæ primos partus dolores percipiens dabat ubera annuo infanti ſubridensque monebat;

(*u*) Tom. 4. pag. 472. & 473.
(*v*) §. 564.
(*w*) Aph. 52. Sect. 5.

bat, ut infans valediceret mammis, quæ mox naſcituro dicatæ jam erant, poſtque paucas horas enixa fuit infantem ſanum & robuſtum, quem feliciter educavit (x). Tamen non adeo audax ſum ut ex hoc concluderem exemplo, rem bonam eſſe, & ſemper tam felicem eventum habituram.

10°. Non excludere debemus *Hæmorrhagiam uteri* a quacunque demum cauſa ortam: hæc tamen non ſemper æque periculoſa & momentoſa eſt, & differt provariis cauſis, temperamentis & viribus corporis fœminarum: recte monuit MAURICEAU, *quo partui propior eſt mulier, eo periculoſior eſt hæmorrhagia uterina.* Menſes aliquando in gravidis prorumpunt & quidem tam in matris quam in fœtus, quem geſtant, commodum & cum euphoria; imo exſtant exempla de fæminis, quæ ſemper tempore graviditatis periodicos fluxus ſanguinis habere, & pro ſigno pathognomico graviditatis notare ſolent, quia ſemper extra graviditatem ab hac evacuatione immunes ſunt: hæc tamen evacuatio proprie ad veras hæmorrhagias uteri non pertinet, ſed intelligo per hæmorrhagias uteri illos nimios fluxus ſanguinis, qui irregulari tempore gravidas occupant cum periculo & metu ſolutionis placentæ, vel ex ejus ſolutione integra, vel pro parte jam facta ſuam cauſam habent: talis hæmorrhagia nunquam periculo caret, & maxime momentoſa eſt omnique tempore geſtationis locum habere poteſt; tertio autem menſe frequentior eſt, licet cætera tempora geſtationis non excludere debeamus.

(x) In Comm. Tom. 4. p. 674.

mus. Ex hac hæmorrhagia uteri varia effecta oriri ſolent; ut debilitas maxima, cachexia, cacochymia, defraudatio nutrimenti & incrementi fœtus, nec non frequens abortus & partus præmaturus.

11°. Tandem abortus & præmaturus partus oriri ſolent, ſi fæminæ tempore graviditatis corripiantur topica quadam *inflammatione*, qualis eſt pleuritis, peripneumonia, hepatitis, cyſtitis, enteritis, imprimisque inflammatio uteri: de uteri inflammatione Hippocrates monuit: *ſi mulieri prægnanti eryſipelas in utero fiat*, *Lethale* (y).

§. VI.

Ordo poſtulat ut transeamus ad *tertiam Claſſem* cauſarum abortus & præmaturi partus, quas præſertim in fœtu & ſecundinis quæremus (vid. §. III.)

Diſponunt ad abortum & præmaturum partum varii morbi Fœtus, ut *monſtroſitates*, *hydrocephalus*, *aſcites*, *convulſiones*, *atrophia*, ubi ſorbere nequit ſuum nutrimentum, & ſic perditur. *Magnitudo nimia* foetus ipſius abortum & præmaturum partum producit, ſi propter molem in utero amplius contineri nequit: unde parvæ mulieres ſæpiſſime abortui obnoxiæ ſunt, præſertim ſi viris grandibus jungantur, quia illæ fæminæ non habent ſatis amplam pelvim & uterum ad fœtum perficiendum.

Geſtatio gemellorum pluriumve fœtuum, quia uterus nimia ſarcina gravatus irritatusque illos ante legitimum tempus exprimit; idcirco non mirum

(y) Sect. 5. Aph. 43.

mirum eſt, quod frequens contingat gemellorum abortus & præmaturus partus.

Nimius motus foëtus non raro abortum & præmaturum partum producit: licet verum ſit fœtum in utero materno clauſo a Creatore naturæ mirabili modo conſervari in ovo, & ſemper natare in liquore amnii, tamen non raro contingit ut adeo vehementer calcitret, ut aliquando ex hac calcitratione ſolutio placentæ oriatur & vehemens hæmorrhagia uteri, ſicque commercium fœtus cum matre impediatur, & hic, priusquam par eſt, in lucem edatur, eo magis, ſi ponderemus fæminas inſuetas præſertim primum gravidas illis calcitrationibus ſæpe obnoxias eſſe, & facillime ex hac cauſa corripi poſſe ſyncope, leipothymia, convulſione & tandem abortire.

Mors fœtus quam maximi momenti eſt, & a quacunque cauſa orta abortum facile producit: mortuus enim fœtus tanquam inutile pondus utero oneri eſt eumque ad expulſionem incitat, & uti reliqua noſtra machina omnia conamina adhibet ut liberetur ab peregrinis inutilibus noxiisque, ita & ſolet facere uterus.

Non infrequenter etiam *Vitium ſecundinarum* anſam dare ſolet abortionibus & partubus præmaturis: V. G. funiculi nimia longitudo, vel nimia brevitas, ut ex HEBENSTREITIO, HILDANO, BAUHINO, MAURICAEO patet & Clariſſimus VAN DOEVEREN ſolet in ſuo collegio narrare, hoc etiam ſe obſervaviſſe. Sic etiam hydatides, ſteatomata, degenerationes in calculum (x) obſtructiones, compactiones, ulcerationes vel aliæ corruptelæ deprehenſæ ſunt:

(x) Vid. Acta Zelandica Tom. 5.

ſunt: omnes enim illæ conditiones impediunt, vel minuunt liberam circulationem ſanguinis ex matre in fœtum, & ſic fœtus enervatur & tandem moritur ob penuriam nutrimentorum tuncque vel ſiccatur vel præmaturus naſcitur.

Aberrationes ſedis placentæ vel ſecundinarum conſtituunt frequentiorem cauſam abortus & præmaturi partus, quam vulgo putari ſolet, præſertim ſi non in fundo uteri, ſed in alia regione, imprimis ad oſtium matricis hæret. Olim de hac re varii obſtetricantes dubitaverunt, ut DEVENTERUS & MAURICÆUS, ſed ex propriis ſcriptis eorum facile & luce meridiana clarius patebit, illos ſcriptores tractaviſſe ipſos tales adhæſiones ſecundinarum, licet tamen negarent; ſed non video rationem, cur ſecundinæ non in alio loco hærere poſſent: nec de hac re aliquis inter Medicos hodie dubitat, quoniam experientia quotidiana tales adhæſiones docet, & ubi exempla exſtant, non opus eſt verbis: videri poſſunt varia exempla apud ſcriptores ut VAN HORNE, DENYS, SMELLIE, LEVRET, PUZOS, B. S. ALBINUM & plures alios, Illuſtriſſimus VAN DOEVEREN tale quoque præbet exemplum fœminæ gravidæ in ſpecimine obſervationum Academicarum (*a*), ex quo non ſolum patet varia mala ex hac applicatione ſecundinarum oriri, ſed etiam Medicos atque obſtetricantes in hac rerum anguſtia ex conſcientia aliquando obligatos eſſe, ut abortum ſeu præmaturum partum ſalva matre producere tentent.

Membranarum ovi nimia tenuitas etiam anſam dare abortui poteſt: ſic etiam quando aqua inter duas membranas collecta facit ut liquores

(*a*) Cap. 10.

res bis effluant vel a Leviſſimis cauſis velamenta rumpantur & ſic abortum producant, ut vidi tale ovum in Muſeo Celeberrimi VAN DOEVEREN Præceptoris mei ſemper venerandi.

§. VII.

Ad *ultimam claſſem* cauſarum Vid. §. III. pertinent *Res non naturales*, quæ extus gravidas invadunt.

1°. In cenſum venit *Aër*, quem omnes perpetua neceſſitate coacti haurimus: ille aër gravidis multum nocere vel prodeſſe poteſt, per nimium enim calorem atmosphæræ languet calor nativus & vis vitalis, humores rarefiunt, unde plenitudo vaſorum, congeſtiones verſus interiores partes, fluxus uterini matri & ſimul fœtui pernicioſiſſimi, & ex his abortus ſeu præmaturus partus. Si vero aër nimis frigidus ſit, ſpasmodice conſtringit cutim & poros, inſenſibilis perſpiratio cohibetur, unde humores introrſum pelluntur, & idcirco oritur plethora ad uterum & ex hac metus abortus vel præmaturi partus.

2°. *Anni tempora*: verum eſt, ut HIPPOCRATES monuit, ſubitas mutationes ſemper nocere, ſed quod paulatim fit, tutum eſſe, idcirco jure merito recenſentur ſubitæ mutationes aëris inter cauſas abortionis & in illa ſubita mutatione idem præſtat, quod in nimio calore vel frigore, ſi nunc uno eodemque die modo calor modo frigus fit, abortus expectare oportet, præſertim ſi fæminæ libero aëri ſe exponunt, revera enim tunc in magno diſcrimine verſantur, & metus abortus adeſt, præſertim in ſenſibilibus fæminis; HIPPOCRATES jam monuit (*b*). *Si hyems auſtralis & pluvioſa & tranquilla*

(*b*) Aph. 12. Sect. 3.

quilla ſit, ver autem ſiccum & aquilonium, mulieres quidem, quibus partus in ver incidit, ex omni occaſione abortiunt. Veroſimiliter ex his anni inconſtantiis derivare debemus epidemicas abortiones & præmaturos partus. Non infrequens quoque eſt poſt vehementia tonitrua & fulmina fæminas in variis locis abortum pati propter vulgarem metum, angorem & animi commotiones.

3°. *Cibus & potus* ad abortum & præmaturum partum inducendum ſuam ſæpe ſymbolam conferunt, & peccare poſſunt vel qualitate vel quantitate. Quantitas nocet, ſi nimia alimenta atque potulenta una vice ingeruntur & ventriculus diſtenditur, unde anxietates, orthopnoëæ, compreſſiones vaſorum, vomitiones & varia mala ipſeque abortus oriri poſſunt. Penuria cibi & potus neceſſarii fœtum ex ſuo ergaſtulo movet, licet raro contingat; tamen, ſi aliquod vitium impedit, quominus fæminæ cibos aut potus vel aſſumere poſſint vel aſſumta continere, tunc foetus neceſſario ex penuria perdi debet. Qualitates alimentorum & potulentorum peccare poſſunt, ſi ſint nimis oleoſa, acriora calida, aromatica, ſpirituoſa, ſtimulantia fortia, quæ omnia motum & circulationem ſanguinis augent, totum corpus irritant & in nimium actum ducere poſſunt: eodem modo nocet vini ingurgitatio nimia: huc reducere etiam debemus peſſimos mores inter noſtrates fæminas, quæ tepidis aquoſis potibus per totam fere vitam abutuntur, & ſic viſcera chylopoiëtica depravare ſolent totamque vitam debiles fieri. Huc pertinent medicamenta intempeſtive data, ut ſtimulantia, calida, emmenagoga, abortiva, purgantia atque emetica valida, odoramenta grata vel ingrata. Jure merito etiam reprehenduntur hic abſurda illa & a naturâ alieniſſima deglutita a gravidis malaciâ ſeu picâ laborantibus, a quibus absque dubio haud raro abortiunt.

4°. *Mo-*

4°. *Motus corporis validi & nixus* quicunque vehementer corpori gravidarum nocent, ut ambulationes diuturnae, quæ totum corpus defatigant, humorum impetus verſus uterum augent, unde hæmorrhagia uteri & abortus. Vectiones in rheda, quæ totum corpus vehementer concutiunt, præſertim ſi ſupra ſtrata rudiora fiant, unde ſolutio ſecundinarum, hæmorrhagiæ & abortus. Motus ſaltationis quam maxime gravidis nocet, ut ex HIPPOCRATIS libro de Pueri Natura patet, ubi dicit (Loquens de cantatrice imprægnata) *Ego vero juſſi ipſam ad terram ſaltare & poſtquam exiliiſſet jam ſepties, genitura in terram profluxit & ſtrepitus factus eſt atque illa concepta ipſa admirata eſt.* Ex hoc exemplo patet, quantopere ille motus gravidis perniciofus ſit & ex his dictis pateret HIPPOCRATEM contra ſuum jusjurandum egiſſe, ſi hic liber HIPPOCRATI debetur, de quo tamen varii Medici jure merito dubitarunt; quidquid ſit, ſufficit ſcire ex tali motu abortum vel præmaturum partum oriri poſſe. In nonnullis fæminis ex tollendo onere, vel ex ſola brachiorum extenſione, vel valida elevatione abortus oriri ſolet. Huc reducere debemus etiam nixus quoscunque inſpirationis, ut cantationes, clamationes, ſternutationes, intemperantiam riſus, inflationes & quæ ſunt aliæ ſimiles cauſæ.

5°. Omnes *Cauſæ violentæ* anſam dare poſſunt abortui, ut vulnera, lapſus, ictus, &c. Sic Mauriceau narrat exemplum ſuæ ſororis triſtiſſimum poſt lapſum abortientis: ideo non mirum in SACRIS LEGIBUS ſeveram ſtatutam pœnam eſſe contra eos, qui gravidæ mulieris abdomen percusſerint (*c*).

Veſti-

(*c*) *Exod.* cap. 21.

Veſtimenta, quæ conſuetudo magis quam natura neceſſaria fecit, mole, pondere, adſtrictione, quas ambiunt, partes premunt, vaſa arctant, appulſis humoribus reſiſtunt, contentos repellunt V. Gaubius *in Inſt. Patholog.* (*d*) jure merito inter cauſas abortionis & præmaturi partus referuntur. Licet verum ſit dari, quibus nos non carere poſſumus, tamen, multa dantur ſuperflua & noxia præſertim gravidis: non mirum ergo eſt Medicos & Chirurgos contra hos pravos mores, qui in noſtratibus locum habent, adeo repugnare, præſertim contra rigidos thoraces, qui adeo pernicioſi ſunt gravidis, ut optandum eſſet, gravidas fæminas inſtitutis rei publicæ coërceri illas res noxias evitare: Illæ enim machinæ vehementer lædunt gravidas, non ſolum quia mammarum & papillarum protuberantiam impediunt & infarctiones, coagulationes, congeſtiones, quin & ſcirrhos diroſque cancros adeo his temporibus frequentes producere ſoleant, ſed etiam quia fœtus in utero materno quam maxime angitur & comprimitur, abdomen impeditur ſatis extendi & tumere, uterus ſurſum elevari, ventriculus ſe expandere, viſcera reliqua ſuis functionibus rite inſervire, unde ex his depravatio coctionis & varia mala. Forſan etiam ex his compreſſionibus oriuntur malæ conformationes fœtus, monſtroſitates & difficiles partus. Ex his etiam exſurgunt anxietates pectoris, congeſtiones ad caput, palpitationes cordis, λειποθυμία præſertim in recenter nuptis, quæ, ut abſcondatur illud ornamentum fæminæ, nempe tumidus venter, ſe adeo ſtringunt, & priſtinam teneritudinem ſtudent conſervare. *Tanto etiam majora ab expanſione & adſcenſu uteri exiſtunt*

(*d*) §. 592.

tunt mala, quando veſtium arctarum, thoracum balænaceorum ſimilive alia conſtrictione priſtinam ventris tenuitatem formæque pulchritudinem ſervare, male ſibi & fœtui conſulentes fœminæ ſatagunt; aut graviditatem primam perverſo pudore recens nuptae, meliora nondum edoctæ, abſcondere tentant; aut furtivi amoris fructum celare corruptæ virgines omni modo ſtudent. Vid. Cel. VAN DOEVEREN in Primis lineis (*e*). Non miramur ideo, aliquando fœtus ex hac cauſa prius, quam par eſt, in lucem edi. Forſan hæc ratio eſt, cur in Indiis Orientalibus, & in aliis locis, ubi illæ machinæ ignotæ ſunt, raro fœminas abortiant, quod quidem luculentiſſime probari videtur a thoracibus rigidis adſtrictisque abortum & præmaturum partum quam maxime eſſe metuendum.

Inter omnes cauſas occaſionales, quod dolendum! his temporibus, eminet *Coitus immodicus* vel *& petulantior* atque ſtimulus venereus. Ille ſtimulus excitat congeſtiones verſus interiores partes, genitalia tument, mens atque corpus irregulariter agunt, inquietudo, & cogitatio circa unam eandemque rem verſatur, ideoque peſſum dat gravidas. Coitus ab omni ævo pro affectione convulſiva habitus eſt, non mirum ergo, ut ante vidimus, quod ille gravidis peſſime noceat, & ſæpiſſime illa tenera rudimenta hominis necet: & credo jure ſummo ex hac forſan exercitatione plures fœtus perire, quam ex omnibus aliis cauſis occaſionalibus ſimul ſumtis. Si enim attento animo de hac re cogitemus, non diu mirari poſſumus: totum enim corpus atque mens in actu eſt & homines quaſi extra ſe videntur eſſe, propter violentum ſtimulum veneris, ſed mox redit ad ſe poſt ejaculationem

(*e*) §. XXXVI. n. 9.

tionem ſeminis cum laſſitudine & frigore. Si nnnc illud exercitium fæminas eodem modo ac viros irritat & afficit, quid quæſo ex hoc ſequi debet? metus certe maximus ne in principio graviditatis illa tenera conceptio ex ſpumantis libidinis guttula orta ſolvatur, nec in ſuo domicilio maneat: præterquam quod in coitu rudius non raro tractetur oſtium uteri, quod ergo facile ſe aperire & expellere poteſt ſuum Embryonem: Hippocrates ideo recte monuit, in lib. de ſterilitate: *Si fœmina novit ſe concepiſſe, abſtinere debet a viro*, & in Lib. de ſuperfœt: *Si fœmina non coit tempore graviditatis, facilius parit*, & Avicenna dicit, *Magnum eſt ex congreſſu in recenti conceptione abortus periculum*: Mauriceau etiam ait, *Frequens coitus in poſterioribus menſibus abortum producit*: non opus eſt plures ſcriptores excitare, ſufficit Illuſtriſſimum Gaubium coitum quoque immoderatum intra cauſas abortus referre. Sed an toto tempore graviditatis, vel quo prægnans eſt mulier, a congreſſu abſtinendum eſt, propter vim nocivam in excitando abortum? omnino abſtinendum eſt, & nullum tempus datur gravidis, quod periculo vacat abortus ſeu præmaturi partus, præſertim ſi diſpoſitio manifeſta adeſt, imo crediderim ex ſola abſtinentia coitus præcaveri poſſe abortum. Rem per exemplum illuſtrari mihi lubet: formoſa matrona, quæ variis vicibus abortiverat, fruſtra quærebat in pharmacis auxilium, tamen numquam ſuum fœtum in utero geſtare potuit usque ad maturitatem, monui virum ut ſe abſtineret a congreſſu, ſed fruſtra, quid fit? fæmina nunc de novo gravida fiebat & paulo poſt moriebatur maritus hydropohobia poſt rabiem caninam; inter triſtiſſimas atque terribiles animi commotiones uxor ejus nihilominus gravida manebat, & ſuo tempore feliciter pariebat fœtum ſanum, vege-

tum

tum atque robuſtum: interim fæmina hæc tunc non erat ſanior ac antea atque robuſtior, ſed potius imbecillior & triſtiſſimis animi agitationibus totum tempus graviditatis dedita: Ideo concludo, ſi parentibus cordi ſit prolem gignere, abſtinendum omnino eſſe a venere tempore graviditatis, præſertim ſi proclivitas ad abortum adeſt. Sed dolendum Medicos raro illas noxas animis ſatis imprimere poſſe, licet enim fæminæ plerumque ſine culpa ſint, libidinoſi tamen viri nolunt abſtinere, & potius perpetrare cædem proprii ſui ſanguinis & omnibus naturæ regulis oppugnare: O Tempora! O Mores! valet etiam hic Tertulliani effatum: *Etiam conceptum in utero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſolvere non licet: Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci, nec refert, natam quis eripiat animam aut naſcentem diſturbet. Homo eſt & qui futurus eſt.*

Rudis exploratio oſtii uterini, ut a nondum ſatis edocta obſtetrice ſæpiſſime fieri ſolet, ſuam etiam ſymbolam huc conferre poteſt, quæ frequentiſſima & rudi exploratione adeo vexare ſolet fæminas, ut, ſi nondum cauſæ abortionis adſint, per illam cauſam facere poſſit. Huc reducere debemus *irritamenta ani & veſicæ*, ideo & cum cautela inſtituere debemus clysmata & ſuppoſitoria; ſic etiam prudentiſſimus debet Chirurgus eſſe, ſi opus ſit catheteriſmum inſtituere, hinc miratus ſum illam operationem hodie ab obſtetricibus Amſtelodami toties inſtitui, quod aliquando cum peſſimo ſit eventu, ideo ſemper præferendum eſt, ut ille a Chirurgo dexterrimo inſtituatur, multæ enim obſtetrices æque ineptæ ſunt ad catheteriſmum rite & prudenter inſtituendum, quam ad bonum auxilium parturientibus præſtandum.

Omnes

Omnes *Animi commotiones* quam maxime nocere gravidis docet quotidiana experientia, præſertim plethoricis, ab ira totus homo mutatur, & Archæus mirabiliter in actum deducitur; homo, qui brevi tempore ante moderate cogitabat, accenſus contumelia adeo turbatur, ut mox validiorem atque celeriorem pulſum acquirat, totus vultus tumeat, oculi ſcintillent, & quaſi extra orbitam promineant, labia & lingua tremant, ſpuma ex ore prodeat, (quæ ut nonnulla exempla docuerunt aliquando venenata eſt,) ſecretio bilis augeatur, (ſimiliter ac in moërore lachrymæ ex oculis fluunt) forſan etiam ejus indoles mutetur: non mirum ergo eſt, ſi talia gravidis contingant, ſæpius ſubitaneam mortem, & frequentiſſime abortus atque præmaturos partus oriri: triſtiſſimum caſum videre licet apud Peu *in Pratiq des accouchem.*

Subitaneus Terror etiam incredibiliter nocet gravidis, mox enim poſt terrorem pallet, friget, contrahitur totus homo, perſpiratio ſubprimitur, alvi dejectio urget, pulſus celer, parvus & inæqualis eſt, cor tremit, enormis anxietas circa præcordia oritur, robur corporis minuitur, tremor fit totius corporis, vox faucibus hæret, vel homo balbutit, ideo ex his terroribus peſſima ſymptomata oriri ſolent etiam gravidis: SWIETENIUS narrat exemplum fæminæ cujusdam momentoſum, quæ poſt placidiſſimum ſomnum terrore evigilabatur, mox incipiebat tremere miſera toto corpore & angi, ſimulque totus lectus jam ſanguine inundabatur, ſequentibus animi deliquio & convulſionibus, & quamvis a periculoſa hac uteri hæmorrhagia convaluerit fœtum tamen quadrimeſtrem abortiens perdidit (e) MAURICEAU etiam varia

(e) Tom. IV. p. 497. & 8.

varia talia exempla narrat (*f*). Ex terrore etiam explicare debemus illum abortum, de quo HILDANUS narravit (*g*): plura exempla adhuc eſſent in promtu, iis autem diutius inhærere non neceſſarium duco. Idem a metu, gaudio inopinato, & ſimilibus animi pathematibus metuendum eſt, ſed ſicco pede ea tranſibo.

§. VIII.

Nunc pauca adhuc de *Cauſa proxima* dicenda ſunt. Ex concurſu variarum potentiarum nocentium, vel ex una alterave harum oritur ſolutio placentæ ab interiore ſuperficie uteri, ita ut fiat major minorve ſanguinis effluxus, cum ingrata dolorifica affectione uterus ſpastice ſe contrahit, & in conſenſum trahit circumjacentes partes, ſicque expellit ſuum ovum integrum vel ruptum. Ex his patet, cauſam proximam abortus & præmaturi partus non multum differre a naturali partu, ergo neceſſario ſequi debet cauſam proximam componere partum ipſum, ideo cauſa proxima non diutius pro cauſa haberi poteſt, ſed pro effectu variarum cauſarum, qui partus ipſe videtur eſſe.

DE SIGNIS DIAGNOSTICIS INSTANTIS ABORTUS ET PRÆMATURI PARTUS.

§. IX.

Ut inſtans abortus & præmaturus partus præſagiri poſſit, requiritur, ut prius certo ſciamus an femina gravida ſit nec ne? ſigna im-

præ-

(*f*) Lib. I. cap. 11.
(*g*) Cent. IV. Obſ. 59.

prægnationis fæminarum varia ſunt, quæ tamen ſemper aliquid obſcuritatis habent.

1°. Ingreſſus ſeminis maſculini in uterum aliquando a fœminis obſervatur cum oblectamento totius corporis, ex quo ſigno variæ fæminæ exacte judicare volunt de tempore conceptionis, & ipſe Hippocrates hoc notavit: ſed quia hæc ſola ex narratione fæminarum Medici audire debent, eſt fallaciſſimum ſignum, ita ut dubitem cum Illuſtriſſimo & magno Swietenio, an non aliquando fæminæ imprægnentur ſine ulla ſenſatione, præſertim illæ, quæ mucoſæ, frigidæ, ad venerem torpidæ ſunt & fluore albo laborantes.

2°. Signum peti poteſt ex ſingulari ſtimulo poſt imprægnationem. Totum corpus atque mens in actum deducitur in variis fœminis. Pulcerrimus caſus invenitur apud Swietenium de formoſa virgine vegeto nupta juveni, quæ ſequenti poſt nuptias die ſcribitur vomuiſſe, nauſeaſſe, & poſtea quædam inſolita appetiiſſe, indignabatur omnino dum feſtivo in convivio ab omnibus ſalutaretur gravida, poſt novem interim menſes exacto computo abſolutos ſanum robuſtum infantem peperit (*h*). Dantur aliæ, quæ mox afficiuntur ſpaſticis contractionibus abdominis, colico dolore, flatibus, borborygmis, ſingulari ſpecie triſtitiæ, iracundia, leipothymia, ſingulari irritabilitate a leviſſimis cauſis, anxietate, nauſeâ, paſſione hyſterica, depravato appetitu, picâ, ipſa mentis alienatione: ſic legitur exemplum cujusdam fæminæ, quæ inprimis quatuor menſibus unde-

cim

(*h*) Comm. Tom. 4. p. 462.

cim graviditatum (quæ regulariter poſt duos annos invicem ſequebantur) ſemper laboravit hydrophobia triſtiſſima, & quidem ita, ut aquam nec poſſet videre nec audire: omnis ratio medicandi erat fruſtranea ad curandam hanc moleſtiſſimam hydrophobiam, quæ demum ſuo tempore ſponte evaneſcebat (*i*).

3°. Signa petimus ex ſuppreſſione menſium, quod Hippocrates jam notavit, *ſi mulieri purgationes non prodeant, neque horrore neque febre ſuperveniente, cibi autem faſtidia ipſi accidant, hanc in utero gerere putato* (*k*). Illa ſuppreſſio cum ſororiatione mammarum plerumque pari paſſu ambulat.

4°. Fons ſignorum plerumque petitur ex mutationibus uteri & ejus orificii: nam mox poſt impregnationem uterus ſe claudit; *quæ in utero gerunt harum os uteri clauſum eſſe*, dixit Hippocrates (*l*).

5°. Fons ſignorum petitur ex fœtus incremento & ex variis motibus, quos facit in utero. Ex his quinque fontibus varia effecta in corpore fæminarum oriri ſolent, quæ omnia ſimul ſumta multum lucis Medicis & Obſtetricantibus dare poſſunt: ſed tamen cavere debemus ne fallamur & potius attendere ad plura ſigna ſimul præſentia, quia ſæpiſſime optimi Medici in hac judicatione decepti ſunt. Ridendi propterea illi Agyrtæ, qui ſe hoc ex urinis certo ſcire poſſe vana quadam oſtentatione, gloriantur.

Si nunc certi ſimus de graviditate fæminarum, tunc attendere debemus an in gravida fœmina etiam diſpoſitio ad abortum lo-

(*i*) Journ. de Med. & Chirurg. Jan. 1762.
(*k*) Aph. 61. Sect. 5.
(*l*) Aph. 51. Sect. 5

abortum locum habeat nec ne, & ſimul cauſæ prægreſſæ ponderandæ, ex quibus plerumque fœminæ abortire ſolent. Si E. C. fœminæ gravidæ corripiuntur acutis morbis, ut febre maligna, putrida, exanthematoſa &c. tunc plerumque paulo poſt alia phænomena ſequi ſolent, quæ abortionis ſigna certiora reddunt; ſic etiam ſi externæ vehementiores cauſæ ſunt prægreſſæ, ut animi perturbationes, lapſus, percuſſiones abdominis, vulnera & quæ ſunt ſimilia, tunc paulo poſt, vel aliquando ex improviſo, mutatur totus habitus fæminarum, fluores uterini, anxietates, leipothymiæ, ſyncopæ oriuntur, quæ cum facie HIPPOCRATICA & oculorum triſtitia pari paſſu ambulant; fœtus, qui antea calcitrabat & ſe valide movebat, nunc vel parum movetur vel plane moveri deſinit: accedere tum ſolet ponderis ſenſatio moleſtisſima, gravativa in lumbis coxisque, regione pubis, & veſicæ, nec non raro ex his oriri ſolet mictio difficilis, imo & iſchuria: porro accedunt horripilationes, pandiculationes, cutis anſerina, dolores capitis, congeſtiones, ſudores & paulo poſt horripilationes redeunt, frigora artuum, mammarum detumeſcentia, tandem dolores ſpurii, qui in veros dolores deſinunt, prodeuntes ex lumbis & cum vi & intervallo in urinam & alvum agentes, hæmorrhagiæ uterinæ ſimul cum excretione aquoſæ materiæ augentur, tandem oſtium uteri ſe aperit, & fœtus vel ovum ruptum vel totum prodit.

PROGNOSIS ABORTUS ET PRÆMATURI PARTUS.

§. X.

Prognoſis in abortu & præmaturo partu quam maximi momenti

eſt

eſt, & Medicus debet eſſe prudentiſſimus, ut, ne famam ſuam lædat, ex circumſtantiarum diverſitate aptam prædictionem formet & expediat.

1°. In abortu, qui contingit primis impraegnationis menſibus, minus moleſtiæ atque periculi eſt, quam medio tempore geſtationis, & ille habet minus periculum quam partus præmaturus, qui ex omnibus periculoſiſſimus eſt, & multo quoque periculoſior, doloroſior atque difficilior quam naturalis partus: ratio in promtu eſt, nimirum, licet verum ſit omnes partus plus miunsve periculi habere, tamen nemo negare poteſt, illo tempore perfecto graviditatis, totum corpus fæminarum ſe ad partum aptare, & impelli fæminas ad eum enitendum ex inſtinctu naturæ, & juvari ab embryone. *Multa magnaque mutatio contingit, tum in fœtu, tum in gravida, fœtus, quum appropinquat partus ocius ſerius, parat ſe ad prodeundum, quo prodeat melius*: dicit F. B. ALBINUS præceptor meus ſemper venerandus (*m*). Senſim ſenſimque dilatantur partes genitales non cum vi, ſi naturalis actio eſt, ſed pedetentim per dolores juvantes & præparantes; ex utero fluit humor viſcoſus, quo viæ lubricari, molliri & ad egresſum fœtus præparari ſolent: hæc omnia non locum habent in præmaturo partu, ſed natura ad intempeſtive expellendum non inſurgit niſi coacta a cauſis vehementibus, aut morbificis & frequentiſſime deleteriis. In genere hinc omnis abortus & præmaturus partus periculoſior eſt, quam naturalis partus; interim tamen ipſa illa effluxio in principio graviditatis non caret periculo & mors ſequi poteſt.

(*m*) De Natura hominis §. 1522. & 23.

teſt. Audiamus HIPPOCRATEM, *Abortiones enim majorem moleſtiam quam partus afferre ſolent. Neque enim citra violentiam abortio contingit, ſive ex medicamento vel ex re alia quapiam accidat. Vis autem mala eſt. Hoc namque caſu periculum eſt ne uterus ulceretur aut inflammationem contrahat, quod eſt periculum pleniſſimum* (n): ideo non mirum, noſtrates fœminas toties dicere, ſe malle decies parere, quam ſemel abortire.

2°. Fœminæ non ſatis perfectæ ætatis, atque etiam annoſiores, & primiparæ, propter rigiditatem totius corporis atque partium genitalium, duriorem patiuntur abortum & præmaturum partum, quam quæ antea pepererunt vel abortum paſſæ fuerunt: idcirco in vegetis ſaniſque atque rigidis fœminis periculoſior eſt, quam in leucophlegmaticis & in valetudinariis præſertim, ſi primis geſtationis menſibus incidat.

3°. Periculum quoque differt pro differentia cauſarum, ex quibus oriri ſolet abortus vel præmaturus partus. Poſt morbos acutos periculoſiſſimus habetur abortus, ab HIPPOCRATE imo lethalis, tamen cum grano ſalis illius Aphoriſmos intelligere debemus ut ante vidimus. Poſt convulſiones abortus valde periculoſi, & ſi convulſiones non ceſſent poſt excuſſionem embryonis, lethales ſunt. Sic etiam, quando poſt fluxum nimium uterinum vel ex inanitione & defraudatione ſanguinis oriuntur convulſiones, mors in procinctu eſt: ARETÆUS CAPPADOX dixit, *convellitur autem ex abortu mulier, verum & hæc raro admodum evadit*, & laudat quando *ex abortu mulieri inceſſerit convulſio ut*

(n) Lib. I. De morbis mulierum.

ut vena in cubito reſcindatur. (*o*). Poſt vehementes animi commotiones ſæpiſſime lethalis eſt abortus, tamen non ſemper, ſed admodum difficilis & periculoſus, & requirit ſummam attentionem Medici atque Obſtetricis. Tandem abortus a cauſis violentioribus ingenere excitatis longe periculoſior eſt, quam a mitioribus.

4°. In Prognoſi ſemper attendere debemus, quod poſt partum præmaturum & abortum, expulſio ſecundinarum difficilior ſit, quam in partu naturali, ex defectu maturitatis, difficiliore dilatatione orificii, atque uteri minore actione, *Poma namque immatura non niſi vi evulſa decidunt.*

5°. Omnes abortus ratione fæminarum gravidarum plus minusve periculum habent, & doloroſi ſunt & reſpectu fœtus lethales. Si jam fœtus mortuus eſt difficilius excutitur, quam ubi adhuc vivit. Præmaturus partus reſpectu matris periculoſus quidem eſt, tamen fœtui non ſemper lethalis; quod noſtra attentione omnino dignum eſt. Tandem periculoſiſſimus æſtimandus eſt abortus & partus præmaturus, ſi oritur poſt hæmorrhagias uterinas, quæ ſuam cauſam habent ex mala adhæſione ſecundinarum, præſertim quando non in fundo uteri, ſed circa oſtium uteri adhæſerint. Idem periculum ſæpe obſervamus quando in fœtu monſtroſitas locum habet.

CURA-

(*o*) De ſignis & cauſis morborum acutorum Lib. I. Cap. 6. & in Lib. decuratione morborum acutorum Lib. I. Cap. 6. editionis BOERHAVII.

CURATIO ABORTUS ET PRÆMATURI PARTUS.

§. XI.

Curatio Abortus & Præmaturi partus jure ſummo a Medicis dupliciter conſideranda eſt, nempe.

1°. Prophylactica extra graviditatem fæminarum.

2°. Graviditatis tempore: de priore nunc agendum eſt.

Si unum alterumve vitium topicum locum habet in utero vel vicinis partibus, ut leucorrhœa vehemens, ſcirrhus, cancer, atheroma, prolapſus uteri vaginæque, lues venerea & millena alia vitia, ſic etiam ſi in viris unam alteramve labem in corpore hærere deprehendimus, ut luem veneream, ſcorbutum, cacochymiam, emaciationem poſt morbos, tunc non favet conſtitutio corporis ad procreandam ſobolem ſanam: ſed tunc abſtinendum omnino eſt a coïtu propter metum abortus vel præmaturi partus. Inſuper varii morbi univerſales fæminarum in cauſa eſſe poſſunt, qui pro re nata & indole ſua ſanandi ſunt ante congreſſum, ſed ſi hos morbos omnes exponere vellem, campus foret nimis magnus pro hac diſſertatione percurrendus, idcirco hos ſicco pede tranſibo, & attingam ſolummodo id, quod tranſire non poſſum. In cura nempe prius inquirendum, num antea jamjam abortiverit fæmina & perpendendum, quid tunc temporis in culpa fuerit? ut illas cauſas, ſi poſſibile ſit, avertamus. Si mala diſpoſitio hæret in nimia ſiccitate aut conſtrictione vaſorum vel membranarum, tunc interne adhibenda ſunt humectantia, laxantia, & leniter eccoprotica; externe laudanda ſunt etiam

etiam humectantia, & laxantia, ut fomentationes, ſemicupia ex herbis emollientibus cum aqua tepida parata, ſic etiam linimenta externa oleoſa demulcentia & emollientia, unguenta compoſita: V. G. Laurinum, populeum, althææ &c. ipſumque oleum olivarum commendari meretur circa perinæum & vicinas pudendas partes applicatum, in hoc etiam caſu non eſt damnanda venæ ſectio, tamen cum regimine; diæta lauta & vita ſedentaria tunc melior eſt quam operoſa; ſomnus longior eſt concedendus; cibus ex vegetabilibus paratus optimus eſt; cavendumque a ſtimulantibus atque aromaticis; potus debet eſſe largior, infuſio herbæ theæ hic non damnanda eſt; hypocauſta peſſum dant fæminas rigidas fibras habentes. Si e contrario debilitas, laxitasque corporis in cauſa eſt, & uterus a natura humidior & laxior, tunc calefacientia, roborantia, leniter ſtimulantia, amara vegetabilia, martialia, gummata ferulacea & adſtringentia adhibenda ſunt; ut myrrha, gummi ammoniacum, galbanum, macis, nuces moſchatæ, Rad. Helenii, Cortex Caſcarillæ, Granatorum, Aurantiorum, & inter omnia medicamenta quam maxime eminet Cortex Peruvianus, larga manu adhibitus, qui inſignem & mirabilem virtutem habet, & pro ſacra anchora in hoc rerum ſtatu habendus eſt. Extra ſtatum menſtruationis etiam ſp. Carm. SYLVII cum fructu adhiberi poteſt, ſic etiam liquor mineralis anodynus HOFFMANNI, atque æther FROBENII in parva doſi inſignem laudem meretur. Ferrum non omittere debemus; & compoſita ex his dictis parata omnino etiam conveniunt, ſi cum delectu adhibeantur. Martiales aquæ hic etiam in cenſum veniunt, & itinera ad illarum fontes, propter mutationem aëris, corporis

motum & oblectamenta, nec non gaudia, quæ inde fæminæ capiunt, ſunt laudanda; optimum tamen eſt, ut fæminæ illa itinera faciant ſine communicatione vel congreſſu maris. Externe etiam conveniunt fomentationes, pediluvia ex adſtringentibus herbis cum vino rubro parata: balnea frigida non ſunt damnanda, ſed extra periodum menſtruationis adhibenda: idem æſtimare debemus de frequentiori mutatione induſiorum frigidorum, quæ ob eamdem cauſam prodeſſe poteſt.

Diæta debet eſſe eupepta, cardiaca, talium ciborum, qui facile in naturam noſtram mutari poſſunt, ideo cavendum eſt a durioribus, qui non facile digeruntur, ſed dant crudum & inertem chylum non idoneum ad corroboranda corpora debilia. Potus debet eſſe parcus, cardiacus ex cereviſia meraca & vino: quando vini uſus modicus eſt, mirabiliter refocillat vires, motus & ſenſus inde fiunt agiles & placidiſſimi producuntur effectus. Cavendum omnino eſt a larga potione theæ & caffæ & omnium tepidarum aquoſarum ingurgitationum peſſimo more noſtratibus fœminis propriarum, dum ſimul junguntur hypocauſta, quæ calorem & perſpirationem in interioribus partibus valde augent, motus abnormes, congeſtiones capitis, nec non ſuſurros, bombos & leipothymiam excitant, ideoque nocent fœminis debilibus.

Motus corporis modicus magnam laudem meretur in aperto ſereno aëre. Animi pathemata ſunt vitanda. Eadem prudentia requiritur in mare, quam in fæmina, ſi in animo habet ſanos infantes gignere, & Abortum vel Præmaturum partum præcavere: ſi enim uterque ſexus ſanus atque vegetus eſt, tunc magna ſpes eſt

ſanam

ſanam prolem prodituram. Non mirum ergo eſt ab Immortali BOERHAAVIO laudari, *conceptum ex parentibus ſanis, vegetis, plenæ ætatis, rara ſed fervida venere utentibus, matutino tempore, poſt perfectam a ſomno coctionem tempeſtate verna imprimis & ſalubri* (*p*). Unde dicunt Solonem in ſuis legibus voluiſſe, ut maritus & uxor tantummodo ſe ſemel viderent ſpatio trimeſtri, ut futuram ſobolem robuſtam gignerent: *rarus enim coitus* dixit Celſus, *corpus excitat, frequens ſolvit, Cum autem frequens, non numero ſit, ſed natura ratione ætatis corporis ſcire licet, eum non inutilem eſſe, quem corporis neque languor neque dolor ſequitur* (*q*). In genere vero hic generalis regula non datur: optimum eſt, ſi in utroque ſexu concubitus fiat ex urgente cupidinis neceſſitate & violentiſſimo ſtimulo naturæ, & ubi curæ abſentia & tranquillitas animi adſunt. In fæcundo coitu credibile eſt, eo temporis puncto futurum hominem naſci, quo conjunctis corporibus animisque mas & femina reſolvuntur extinguunturque & tunc dicitur fæmina concepiſſe.

§. XII.

Ad alteram claſſem prophylacticæ curæ nunc accedendum erit, quæ in impraegnata ſeu Gravida fæmina locum habet. Mox poſt imprægnationem fæminæ debet Medicus cavere, ut ne ea embryonem perdat. Medicorum ergo, quibus cordi eſt ſalus ægræ, omnes noxas, quæ anſam dare poſſunt abortui & partui præmaturo ante

(*p*) Inſtitut. Med. §. 855.
(*q*) Lib. I. Cap. I.

ante oculos ponere, officium dictat, ut Fæminæ, Viri, atque Adſtantes illas noxas, cauſasque poſſint vitare: & licet revera non raro prædisponentes cauſæ adſint, tamen non deſperandum eſt, illæ enim non ſemper per ſe ſufficiunt ad abortum & præmaturum partum: *Neutra* inquit Illuſtriſſimus GAUBIUS *ſola producendo morbo ſufficit ſed ambarum concurſus requiritur. Prædiſpoſitio ſi abeſt, occaſio non nocet & viciſſim ſi prædiſpoſito ab occaſione caves, caves a morbo* (*r*). Ideo maximopere ægris cauſas omnes detegere debent Medici, ne ſalutaris naturæ operatio in ſua actione turbetur. Si ægræ nolint, vel non poſſint vitare illas cauſas (& ſane fere impoſibile videtur omnes cauſas occaſionales fugere) tamen tunc ita agendo & monendo Medici ſuo officio & ſibi ſatisfecit. Religioſe cavendum eſt, ut admittantur potentiæ nocentes, quæ impetum ſanguinis verſus uterum & circum jacentes partes proritare poſſunt & connexionem ſecundinarum cum utero ſolvere. Si aliquod vitium locum habet in utero, vel vicinis partibus, pro ſua indole curandum eſt. Prolapſus uteri & vaginæ, per annullos & peſſaria ſunt compeſcendi. Iſchuria per leniter refrigerantia, & aliquando per venæſectionem emendatur, abſtinendum in ea eſt a diluentibus, ne copia urinæ augeatur: externe adhibendus eſt ſitus ægrotantis ſupinus, capite declivi, elevatis femoribus, genubus flexis & calcaneis ad nates retractis; aliquando fæminæ eligere ſolent contrariam diſpoſitionem & tunc facillime mingunt; aliquando per explorationem & ela-

(*r*) Inſtit. Pathol. §. 59.

elevationem uteri, fœtus & abdominis, facile liberantur fœminæ ab urina præſertim ſi θλίψις in cauſa eſt. Sed ſi omnia fruſtranea eſſent, tunc ad catheteriſmum pergendum eſſet. Convulſiones, epilepſia, hydropes, acuti morbi, ingenere omnes alii quicunque, pro indole ſunt tractandi, ita tamen ut ſemper attendamus arbores magis æſtimandas eſſe quam fructus Febris intermittens a cortice Peruviano tempeſtive compeſcitur. Vermes per oleoſa demulcentia, emollientia aliaque antihelmintica ſunt expellendi, fortiora tamen antihelmintica non tuto adhiberi poſſunt.

Nauſea & vomitus, licet illis Medicus non facile mederi poſſit, tamen aliquando per debitum regimen tuto abigi poſſunt: quando illi vehementer urgent, tunc tuto venæſectio inſtituitur. Aliquando etiam lenia eccoprotica conveniunt, præſertim quando ſaburra in primis viis hæret; ut manna, cremor tartari, rheum, pulvis cornachini, ſed tamen cum prudentia. Vinum aliquando inſignem laudem meretur. Optimum remedium ſæpe eſt opium, vel compoſita ex hoc præparata. Moleſtiſſima tuſſis compeſcitur per V. S. refrigerantia, pectoralia, emollientia & papaverina, omnia ſtimulantia autem ſunt vitanda; pilulæ de cynogloſſa veſpertino tempore cum inſigni fructu adhiberi poſſunt. Externa non nulla ſuam laudem quoque merentur, v. g. ut totum abdomen per ligaturam ſuſtentetur. Si plethora adeſt, vel metuenda, per venæſectiones, victum tenuem blandumque ſanetur, & ſi neceſſitas urget tunc venæ ſectio repetatur; cavendum tamen eſt, ne una vice magna nimis quantitas ſanguinis extrahatur, ex qua peſſimæ leipothymiæ oriri ſolent, ipſeque abortus vel partus præmaturus poteſt excitari.

Concubitus ſeu coitus ſemper eſt ſedulo vitandus, & revera ſine læſione animi non fieri poſſe tempore graviditatis mihi quidem videtur.

Aër ſerenus quam maxime laudalibis eſt; aër valde frigidus & calidus, quantum fieri poteſt, vitetur, & mediocriter frigidus & calidus quæratur vel arte paretur; cavendum etiam a calidis hypocauſtis.

Victus & potus non in omnibus fœminis gravidis unus idemque eſſe debet, & differt pro vario temperamento & conſtitutione corporis. Sic in plethoricis ac cholericis convenit victus tenuis, blandus, modice nutriens, ex vegetabili regno deſumtus & ex junioribus animalibus. Potus debet eſſe largior & multa aquoſa materia præditus. E contra in phlegmaticis conveniunt nutrientia, roborantia, majori copia aſſumta, ventriculum tamen non onerantia, ſed viribus ejus accomodata: potus ſit roborans ex cereviſia & bono vino cum regimine ſumto: cavendum eſt ab aquoſa tepida ingurgitatione. Veſtimenta laxa ſint, nulla vi comprimente prædita, propter cauſas quas antea explicavimus. Motus corporis non ſunt negligendi, tamen cavendum a nimio motu & defatigatione: Equitationes & vectiones in rheda ſuper in æquales rudiores vias fugiendæ ſunt. Saltationes quam maxime vitare debent gravidæ: & in genere omnes motus corporis, qui fatigant, non ſine periculo abortûs fieri poſſunt. Decubitus & ſomnus longior ſunt laudandi & cavendum a vigiliis & omni mentis intentione. Animi pathemata violenta & immodica ſunt fugienda, modica hilaritas tamen conducet. Metus & terror per V. S. leniter antiſpasmodica & opiata temperandi ſunt. Mœror cum

modica

modica doſi vini & caſta ratiocinatione temperandus eſt.

Si nunc contra omnes has cautelas tamen oritur ſolutio ſecundinarum, tunc mitigare debemus fluxum ſanguinis, dolores ceteraque ſymptomata. Mox poſt ſolutionem placentæ oritur ſanguinis fluxus, quem per venæ ſectiones, temperantia, refrigerantia, antispasmodica, involventia, adſtringentia, externa remedia & bonum regimen gravidarum mitigare vel cohibere debemus. *Venæ ſectio* convenit præſertim in plethoricis, in omni motu nimio & phlogiſtica ſanguinis agitatione, inflammatione magna, in febribus continuis non putridis, in congeſtione verſus uterum, in convulſione non ex defraudatione ſanguinis orta, in contuſione, lapſu, terrore, animi pathematibus, in omnibus affectibus calidis, ubi pulſus durus, & velox adeſt: in principio hujus fluxus melior eſt, quam ſi longo tempore duravit, melior etiam eſt repetitis vicibus facta, quam ſi una vice magna quantitas ſanguinis extrahitur. Ex his præmiſſis facillime patet ubinam venæ ſectiones non conveniant. *Temperantia & refrigerantia* conveniunt in diſpoſitione inflammatoria, & componi ſolent ex decocto hordei, lactucæ, acetoſæ, endiviæ, althææ, malvæ & quæ ſunt ſimilia: emulſiones ex 4. ſem. frigidis, cum ſale nitri, prunellæ, mirabili, tartaro vitriol. ſpiritu nitri, ſp. nit. dulci, ſpiritu vitrioli, ſp. ſalis dulci, ſp. ſulph. per camphan. & ſimilia conveniant; *Involventia & obtundentia* conducunt, quæ ſimul levem vim adſtringentem habent ut Rad. tormentillæ, conſolidæ, alchimillæ, bardanæ, Herb. agrimoniæ &c. ſi ægra ſimul de dolore ventris, & teneſmo queritur, tunc emulſiones ex amygdalis & ſem. 4. frigidis paratæ conducunt, ipſum oleum amygdalarum dulc. egregium uſum præ-

ſtat.

ſtat. *Antiſpaſmodica* inſignem hic virtutem habent; omnino tamen abſtinendum eſt a calidis; caſtorei parva quantitas cum nitro aliisque temperantibus inſignem laudem habet, pulvis antiſpasm. Stahlii, liquor anodynus minineralis Hoffmanni, Laudanum Liq. Sydenhami parva doſi conducunt, aut ſyrupus pæoniæ, diacodii, decoctum ex althæa, malva, flor. pap. rhæad. cum nitro & ſpiritu ſalis egregium remedium præſtat. *Adſtringentia* non ſunt damnanda, vel uti Rad. tormentillæ, Cortex Peruv. querci, granatorum, lapis hæmatit. bolus armen. ſanguis draconis, terra catechu, alumen, pulvis Heurnii, pulvis ſtipticus Helvetii, aqua Rabelii ad gut. X. XII. XX. 4ter. 5^ies^. de die vel gutt. 60. in decocto aliquo; oleum martis ad gut. III, IV, VI. bis terve de die cum apto vehiculo; tinct. martis adſtringens hic etiam valet, & omnibus palmam præripit opium cum cautela & debita prudentia propinatum. Nonnulla *Externa remedia* etiam egregie valent, ut aqua frigida ſimplex, vel cum herbis adſtringentibus cocta, vel hydrogala frigida applicata; vinum rubrum, aqua aluminoſa, oxycrata aliaque ſimilia non ſunt damnanda. Omnia hæc medicamenta dabuntur fruſtra, ſi negligatur *bonum Regimen*, ideo ſummopere laudari meretur tranquillitas animi, quies corporis in lecto, ſitus horiſontalis, relaxationes veſtimentorum, aër moderate frigidus in quo ægra decumbit, lux tenebricoſa, rumoris abſentia, diæta tenuis blandaque, ex vegetabili regno deſumta: aliquando leniter nutrientia ex jusculis carnis cum vegetabilibus paratis conducunt. Cavendum eſt ab omnibus cauſis occaſionalibus, præprimis confabulationibus & animi agitationibus atque intentionibus.

Ex præmiſſis his ſuperabunde patet; non dari generalem regulam

ad

ad præcavendum abortum & præmaturum partum, ideo vana ad minimum ſunt omnia ſpecifica, quæ apud Agyrtas adeo ſunt celebrata, ſi non periculoſa ſunt: unde, licet Medicus in praxi clinica bene verſatus omnia conamina adhibeat, tamen ſæpiſſime non præcavere poteſt abortum & præmaturum partum.

§. XIII.

Quid in hac rerum anguſtia ab obſtetricante effici debeat, nunc indagandum eſt. Omnia, quæ excluſionem fœtus impedire poſſunt tollere vel mitigare debet obſtetricator: ſi nihil obvium, ars nihil facere debet, natura a ſolo inſtinctu edocta, excitat dolores per intervalla recurrentes, ex lumbis in pubem terminantes & expellit fœtum. Medicus & obſtetricans hic nihil valent, & ars non emendare poteſt ordinatas operationes naturæ, ſed e contrario, ſi agit, reddit eas pejores: ideo pro Axiomate ſtatuendum, ſi res naturaliter ſe habet, nihil agere optimum.

Si in initio graviditatis contingit abortus, facile a natura res peragitur, & concomitantes morbi vel ſymptomata pro ſua indole ſananda ſunt. In medio graviditatis tempore etiam facile expellitur abortus, & fere ſuperflua eſt, quæ per manum fit, cura, excepto caſu, ſi ſecundinæ hærent in oſtio uteri, quod plerumque manus obſtetricantis requirit: fœtus plerumque mortuus eſt, vel paulo poſt moritur, & fæmina eadem methodo tractanda eſt, qua puerperpera.

Præmaturus partus valde doloroſus, periculoſus & diuturnus eſt, ut jam monuimus, tamen non ſemper fœtui lethalis: ideo attendere debemus, ut fæmina feliciter, & commode pariat,

& fœtus vivus in auram edatur; ideo mox indagare debet Medicus, quid in cauſa ſit, & ſecundum cauſas ſuam methodum medendi dirigere: Si nullæ manifeſtæ cauſæ occaſionales ad ſunt, tempus partus expectandum eſt: ſi dolores ſpurii adſunt, compeſcere eos debet per clysmata mollia, interna lenia carminativa & opiata ſeu papaverina. Fæmina debet in lecto decumbere, & ſi res bene ſe habet nihil mutandum eſt, ſed cum patientia bonaque ſpe tempus partus debet expectari. Si deficit natura & valde cruciatur abortiens, ei ſuccurrendum eodem modo, quo in naturali partu. Aliquando ſunt membranæ, quæ fœtum includunt, adeo firmæ ac tenaces ut non a natura frangi poſſint, tunc obſtetricans facile digitis illas frangit, quod mox levamen fæminæ adfert, cavendum tamen eſt ne juſto prius hoc fiat. ſi vi naturæ membranæ franguntur & aquam amnii, viæ fœtui lubricandæ & laxandæ peridoneam, emittunt, tunc paulo poſt iterum dolores exacerbantur, parturientes enormiter clamant, cum vi expellitur caput fœtus, &, ſi res bene ſe habet, brevi tempore totus fœtus. Aliquando fœtus ſuis membranis involutus prodit, quas mox aperire debet obſtetricans, ut liberet a ſuo funiculo fœtum, qui ligandus eſt ad duos tresve tranverſos digitos a ventre. Plerumque ſecundinæ firmiter adhærent utero; lis hinc maxima eſt inter Auctores, an mox liberare debeat obſtetricans fæminam a ſecundinis, an non? Reſpondeo, ſi natura ipſa agit ad expellendas haſce tunc revera juvare eam debet obſtricans, & melius eſt tunc ab iis liberare fæminam, quam per moram diuturnam retardare, quia ſæpiſſime tunc ab omnibus doloribus immunis poſt partum manet. Cavendum autem a tractione funiculi, ſed potius manum inunctam obſtetri-

ſtetricans in uterum adeo dirigit, ut leviter ſeparet ſecundinas ab utero. Sed ſi fæminæ ſint debiles & ſanguine exhauſtæ & atonia uteri ad ſit, tunc potius expectare debemus, donec per ſalutaria naturæ molimina ſecundinæ expellantur.

Fœtus ſæpiſſime imbecillis & debilis prodit, & noſtra attentione in tali caſu etiam quam maxime dignus eſt: ſi parvum vel nullum in eo manifeſtum ſignum vitæ adeſt, tamen non ſemper ideo pro mortuo habendus, quia plurima exempla docuerunt fœtus præter omnem ſpem revixiſſe: mirabilis talis caſus legi poteſt de fœtu quinquemeſtri apud Brouſſetum (*s*) ideo omnia conamina adhibenda ſunt, ut reſpiratio peragi incipiat, quem in finem ſummo jure laudantur frictiones cum panno vel lana in vinoſa, acetoſa, aromatica, vel ſpirituoſa materia madefacta; exſtillatio ſanguinis ex umbilici vaſis; inflatio aëris per os, iritationes ani, pedum & narium non ſunt damnandæ (*t*). Si monſtroſitas locum habet in fœtu, vel vitium particulare adeſt, ut Hydrocephalus &c, & fœtus ob tale malum non in lucem edi poteſt, adhibenda caute ſunt inſtrumenta idonea, ſive vectis ſive forceps, vel ſi cum his non feliciter res procedit, melius eſt anceps remedium experiri quam nullum, ideo ſi fæmina in diſcrimine vitæ verſetur, & de morte fœtus certi ſimus, perforatio capitis inſtituenda eſt in ſalutem matris, ut facilius fiat eductio.

§. XIV.

(*s*) Eſſai ſur l'Education Med. &c. pag. 37. & ſeq. in notis.

(*t*) V. Acta Soc. Servandis civibus Tom. 2. p. 252.

§. XIV.

Fœmina nunc libera a foëtu atque ſecundinis eodem modo eſt tractanda ac Puerpera. Ad roborandum & ſuſtendandum ventrem, & animi deliquium præcavendum, omnino requiritur Faſcia lata apto modo ventri applicata, de qua vide J. DE GORTER (*u*). Regimen frigidum eſt vitandum, nimius etiam calor nocet: modica omnia optima ſunt: animi pathemata quævis ſunt fugienda; confabulationes & rumores nocent vehementer puerperis; ideo viſitandi mos apud noſtrates fæminas cohiberi & arceri debet a Medicis & puerperarum maritis; recte monuit Celſus, *multi morbi curantur abſtinentia & quiete*, ideo ſummopere debent Medici inculcare quietem corporis & animi. Veſtimenta non nimis cito renovari debent; cavendum eſt a frigidis atque humidis linteaminibus, quia puerperæ quam maxime ſunt irritabiles, ſenſiles, & a leviſſima cauſa mox ſuppreſſionem lochiorum, ſpasmos, febres aliave mala pati poſſunt. Aliquando lac ex uberibus copioſe effluit & plurimas moleſtias creat: ſi infans vivus eſt, optimum remedium eſt ſuctio; ſed ſi mortuus foëtus, tunc ad exſiccationem mammarum naturæ vias ſequi debemus: non inutile erit, Emplaſtrum molle ex Mucilag., Crocat., Cumin., Defenſ. Vigonis, applicare mammis: cavendum vero omnino eſt a repellentibus & adſtringentibus topicis ne oriatur metastaſis lactis; abſtinendum etiam ab humectantibus & copioſis aquoſis tepidis, ſi urget neceſſitas ſuctio inſtituenda eſt, & poſt ſuctionem, lenis & æqualis compreſſio mamma-

(*u*) Over het regt gebruik der Sluitband.

mammarum cum bona ſicca diæta, tunc ſenſim ſenſimque minuitur lactis copia, præſertim ſi alia via excretoria aperta habeatur & lochiorum fluxus non totus ceſſaverit.

Aliquando fœminæ poſt abortum & præmaturum partum valde debiles ſunt, quæ per bona alimenta facile in naturam mutabilia reſtitui poſſunt. Inter medicamenta eminet Cortex Peruvianus, qui ad refocillandas & roborandas vires palmarium & optimum remedium eſt. Exercitium corporis ſenſim ſenſimque auctum, ipſumque tempus pro ulteriori remedio erunt.

En *Benevole Lector*, quæ de *Abortu & Præmaturo Partu* proferre in animum duxeram: quibus Legibus Academicis factum eſſe ſatis arbitror, nam latius quidem licet de hac re diſſerere potuiſſem, officium meum non erat Tractatum ſcribere, ſed Specimen inaugurale. DEUS T. O. M. faveat meis conaminibus & Hæcce ſtudiorum meorum fundamenta dirigat in nominis Sui Gloriam, Proximorum utilitatem & perpetuam mei meorumque ſalutem!

TANTUM.

THESES.

I.

Bonus non eſt Medicus, qui negligit Chirurgiam Artemque Obſtetriciam.

II.

Venæ ſectio ad periculoſas operationes non pertinet.

III.

Adſtringentia ſecundas vias intrare contendo.

IV.

Signa graviditatis ante quartum menſem ſunt incerta & fallaciſſima.

V.

Ignota eſt cauſa fluxus menſium.

VI.

Carcinoma verum adhucdum inſanabile videtur niſi extirpatione affectarum partium.

VII.

Omnibus antifebrilibus Cortex Peruvianus palmam præripit.

VIII.

VIII.

Hydrophobos neque ſuffocatione, neque alio modo necare licet.

IX.

Imaginatio gravidarum nullos alios in foëtus producere poteſt effectus, præter illos, qui ex animi affectionibus in omni homine ſequuntur: nullos ergo maculis notatos, nullos membris truncatos infantes, nullos vulneratos, nulla monſtra.

X.

Non ſemper tutum eſt mox poſt partum placentam extrahere.

XI.

Inſitio variolarum nunquam ſatis poteſt laudari, modo prudenter inſtituatur.

XII.

Hydropicorum aquas, ſi fiat paracentheſis, una vice omnes evacuare minus tutum.

XIII.

Omnia Medicamenta ſunt venena & omnia venena ſunt medicamenta.

XIV.

Nutritio corporis quo modo perficiatur latet.